



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

2227. Heinrich, Fürst von Meckenburg, bekundet, daß ihm die
Johanniter-Ritter zu Mirow eine Beisteuer zur Bestreitung seiner an den
Markgrafen Hermann abzutragenden Schulden freiwillig geleistet und ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56621](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56621)

confirmantes, testimonio presentium litterarum nostri sigilli munimine signatarum. Datum et Actum in Smalkalden, Anno Domini millesimo et trecentesimo tercio, in vigilia Sanctorum Apostolorum Phillipi et Jacobi.

Aus Bedstein's Mittheilung in dessen Werke über Otto von Botenlauben.

2227. Heinrich, Fürst von Mecklenburg, befundet, daß ihm die Johanniter-Ritter zu Mirow eine Beisteuer zur Bestreitung seiner an den Markgrafen Hermann abzutragenden Schulden freiwillig geleistet haben und bestätigt ihnen ihre Steuerfreiheit, am 3. April 1304.

Hynricus, Dei gratia dominus Magnopolensis, omnibus Christi fidelibus presens scriptum visuris seu auditoris salutem in Domino sempiternam. Facta memorie digna scriptis commendare decrevit antiquitas, ne longinquitate temporis, quod iuste ac rationabiliter actum dignoscitur, cujusquam oblivione contingat vel temeritate in dubium revocari. Noverit igitur presens etas fidelium et discat felix successio futurorum, quod prelibati fratres sacre domus hospitalis Jerosolimitani ordinis sancti Johannis baptiste de Myrowe omnia bona villarum seu mansorum eorum, videlicet Zyrtowe, Peceke, Lenst, Vlethe, Repent et Myrowe, cum omni jure, proprietate et libertate, terris cultis vel incultis, lignis, paludibus, aquis, aquarumque decuribus, molendinis, piscationibus, pratis et pascuis cum suis pertinentiis, sub certis terminationibus sicut jacent, absque precaria ad nos perduxerunt. Cum autem in magna necessitate debitorum ex parte illustri principis Marchionis Hermanni essemus positi, in subsidium jam dicti fratres ordinis sancti Johannis baptiste de bonis eorum predictis triginta marcas argenti nobis animo benivolo donaverunt, quam donationem argenti nec modo in presenti pro jure reputamus, nec unquam nos vel nostri heredes live successores pro jure reputabimus in futurum, sed potius pro gratie et beneficii impensione. Preterea nos dictorum fratrum considerantes vitam celibem, bonorum operum frequentiam, ordinis sanctitatem, sperantes in animo et corpore apud Deum devotis eorum precibus salubriter adjuvari, ad laudem Dei omnipotentis et beate Marie virginis sanctique Johannis baptiste, pro salute anime nostre et uxoris nostre ac progenitorum nostrorum, necnon successorum damus eisdem fratribus presentibus et futuris eorum bona supradicta, sicut ad nos ea perduxerunt, per nos et nostros heredes seu successores a denariis monete et a precaria in perpetuum libera et exempta. Vt autem omnia predicta a nobis et nostris successoribus perpetua permaneant et inconvulsa, dedimus eisdem fratribus supradictis de Myrowe presentem paginam sigilli nostri patrocinio firmiter communitam. Testes sunt milites nostri dominus Buffo de Dolle, dominus Rodolfus de Wodenswegen, dominus Hechardus de Dewize, dominus Hinricus Soneke, dominus Ficco Mund, Johannes de Plawe advocatus, dominus Hinricus Krowel ad-

vocatus, dominus Rodolfus de Dolle, et quam plures alii fide digni. Datum Ly-
chen, anno Domini M^oCCC quarto, tertio nonarum Aprilis.

Aus Voll's Gesch. des Landes Stargard I, 354.

2228. König Albrecht benachrichtigt die Stadt Lübeck, daß er die von derselben jährlich zu zahlenden und dem Markgrafen Hermann überwiesenen 300 Mark Silbers, dem Letzteren in Folge seiner Auflehnung entzogen und auf seine Schwester, die Herzogin Agnes von Sachsen übertragen habe, und befiehlt der Stadt demgemäß, der Herzogin die Zahlung zu leisten, am 1. Juli 1304.

Albertus, Dei gracia Romanorum rex, semper augustus, Prudentibus viris . . . scabinis, consulis et vniuersis ciuibus in Lubek, fidelibus suis dilectis, gratiam suam et omne bonum. Quamuis anno preterito illustri Hermanno marchioni Brandenburgensi, genero nostro, ex dono concesserimus et benevolentia speciali, quod apud vos CCC marcas argenti annis singulis percipere posset et deberet, transmissis vobis nostris patentibus litteris super eo, idem tamen marchio, tam grate beneficencie immemor et ingratus, regi Bohemie, nostrorum et imperii principatuum et iurium inuafori publico et illicito, fauore et auxilio se astrinxit, nulla ratione preuia contra nos inique rebellionis cornua erigendo in ipsius infortunium, salutis sue ac fidei detrimentum et in nostrum ac imperii nocumentum. Cum ergo inuitis gracia non prestetur, et in contemptores graciae et rebellionis amicos promptum accedere debeat debite iudicium vltionis, premissam gratiam sibi factam presentibus reuocamus, inhibentes vobis firmiter nostre graciae sub obtentu ac precise volentes, ne predicto marchioni de huiusmodi pecunia nobis soluenda respondeatis ammodo uel eam sibi aliquo modo presentetis, sed ad istam vicem illustri Agneti, ducisse Saxonie, sorori nostre carissime, dictas CCC marcas nostro nomine integraliter persoluatis. Nos enim, qui errorem et rebellionem ipsius cum patientia dissimulauimus vsque modo, ipsum ad conuersionem et penitentiam expectantes, contra eum amodo nostre potentie brachium taliter extendemus, vt, cuius graciae et fauorem contempsit, dignam nostram vltionem sentiat et vindictam. Datum in Frankenfurd, Kalendis Julij, anno Domini MCCC quarto, regni vero nostri anni sexto. In cuius rei testimonium nostra sigilla presentibus sunt appensa.

Aus dem Lübecker Urkundenbuch II, 154.